

- A** suum opus: nec illud quidem facile est ostendere, an natura utatur solo calore sanguinis, & feminis, vel etiam insita substantia, & tandem quoque influentis à corde, & hepate promanantis: & quod probabile est, imprimis uteri, & matris calore, eo modo, quo videmus animalia ex ovis nequaquam gigni à solo calore insito ipsi ovo, sed alio simul extrinsecus accedente. Cæterum animal ipsum auget, naturalis facultas concoctrix, quæ plus alimenti conficit, vsque ad certum temporis spatium, quam dissoluatur, non autem alia vis, quæ augendi vim habeat: In hoc verò opere, vititur illa insito singulis membris, & influente calore: eademque, eodem vsa adminiculo, animal nutrit. Mortis autem est author, qui est in singulis partibus calor, eo quòd perpetua quadam actione, sibi subiectam substantiam digerat, absumatque. Validæ quidem sunt facultates corporis, quando insita substantia, in qua ipsæ resident, plurima est, optimeque est affecta influens, quo alia fouetur, vititurque tanquam instrumento omnis animæ, & corporis facultas. Vitalis facultatis essentia calor nullus, nullumque calidum corpus est: quandoquidem omnis facultas est animæ, & formæ, quæ ex propria, & nobis ignota essentia, diuersam à calore naturam, à summo rerum opifice acceperunt: alioqui quæ eiusdem temperamentis, æqualisque caloris censentur esse, eandem formam, & vim obtinerent. Sed hoc alibi suo loco clarius ostendimus: vbi illud quoque docuimus, nullam mitti in corpus, nec aliquam esse propriam vitalem facultatem, ex qua viuere res dicuntur. Primum, & commune animæ instrumentum, recte dicitur esse calidum innatum, illud scilicet quod influit: quandoquidem illius affluxu peraguntur vniuersæ animalis functiones. Arterias calor beneficio moueri nequaquam credo, sed à facultate, quàm à corde sumunt, nimirum cum illæ vinculis interceptæ desinant pulsare, ea parte, qua nequit à corde vis illa pulsationis author recipi: cum tamen tota ipsa arteria viuat suo calore, & alio influente, à vicinis arterijs, & partibus communicato. Calorem asserere esse naturam nostram, & illam quæ regit solida corpora, animæque substantiam, est ignorare formas rerum distinctas esse à suis instrumentis, & quod dicere solet, totam substantiam rerum quæ quidem illi est, quod philosophis forma: quam quidem substantiam, ut à calore, & calido passim distinguit idem author, sic par erat illum agnoscere, aliam animæ substantiam, quam calorem, aut calidum aliquod corpus. Esse autem illud præcipuum calor officium quòd nos alar, recte fortè creditur, sed illud quidem primum non est. Nam vnicum, & primum illius munus est, calefacere, ad quod alia omnia sequuntur, concoctio, inquam, attractio, retentio, expulsio, alimenti distributio, auctio, nutritio, & denique quicquid in animali perficitur: sed (ut diximus) ex operationibus, quæ sequuntur calorem, eam quam exercet ad nutritionem præcipua existimanda est: vel quòd aliæ vniuersæ nutritionis gratia fiant, vel nutritionem sequantur, vel quòd ex nutritione refarciatur dissoluta substantia, qua restituta, & vires, & calor ipse fouentur & conseruantur, ita ut merito, præcipuum illud munus censendum sit, quod ad sui ipsius tutelam exercet. Igitur qui calidi, calorisque natiui varias significationes nouit, idem pariter intelliget, quam vim singulis tribuere oporteat, quid inquam agat, tanquam author actionis, quid tanquam instrumentum commune, quid per se nequeat aliquid præstare, quid ab alio capiat, aut alteri largiatur: nam ut natiuus calor nullus fortè recte dicitur primò, & per se agere, (siquidē formæ, & partibus ipsis actiones tribuuntur) sic qui in ipsa re est calor, ut aliquid maxime cum forma coniunctū, requiritur ad ea, quæ ab ea substantia fieri debent: Itaque calor qui in semine est, solum ad generationem facultati generanti seruit: qui autem cum sanguine menstruo, nullius operis instrumentum est: quippe cum sanguis, solum materia generationis esse censetur: qui verò influenti substantiæ est insitus, non agit, sed solum instrumentum est, quo excitatur calor, qui in singulis membris est, & propterea cõe animi, & corporis instrumentum huiusmodi calor, & ei subiecta calida substantia, esse creditur. At calor ex sanguine, & semine, in humida, calidaque materia relictus, per se est inualidus: utpote qui solam potentiam ad agendum obtineat, cum influente verò mistus, omnium nostrarum actionū instrumentum euadit. Sic enim videmus dormientes sceleriter concoquere cibos, quòd tunc ad interna viscera, vbi concoctio alimenti fit, influens calor se recipiat, qui insitum illis membris calorem, impotentem alioqui per se, excitat, roborat, auget & (ut ita dicam) perficit: cessant verò eo tempore externarum partium actiones: quoniam etsi illæ insitum calorem habent, influente tamen in alio opere occupato, destituuntur: quo postea procedente, vel exeunte potius, cessat somnus, succedit vigilia, in qua externarum partium opera optimè peraguntur: intermittuntur verò, aut certè deterius fiunt, quæ intus exercentur. Quæ quidem satis probare videntur insitum singulis membris calorem, absque influente non posse agere. Est porrò calor immerfus singulis partibus, peculiare instrumentum, quo pars illa sua munera absoluit, redditurque aptum ad agendum, cum recipit aliunde immissum calorem. Quod verò influit à corde, & testibus, ut in omnes spargitur, actumque dat insito calori, sic commune instrumentum esse, credendum est. Calidum verò, quod ab hepate mittitur, materia fit necessaria corpori. Atque hæc sufficiant de vi, & officijs calor, calidi que natiui.

Quoniam